

The Chrysostomus Latinus in Mattheum Online (CLIMO) Project
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia II. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.4ra-6vb)

Liber generationis ihesu christi, filii dauid, filii abraham.

Numquid meministis mandati quod prius fecimus uobis, deprecantes cum silentio omni, et mystica quiere audire omnia que dicuntur? Etenim ingrediemur hodie sacras portas, propter quod et mandati memini huius. Si enim iudei ardenti monti et igni et nebulae et tenebris et fulguri aduenturi, magis autem neque aduenturi, sed alonge haec et uisuri et audituri, ante tres dies iubebantur a mulieribus abstinere, et uestimenta lauare, et in tremore erant et timore, et ipsi et cum ipsis moyses, multo magis nos qui tales debemus audire sermones, et non longe a monte stare fumigante, sed in ipsum ingredi coelum, amplio rem demonstrare oportet philosophiam, non uestimenta lauantes, sed stolam animae polientes, et ab omni huius uitae liberatos commixtione. Non enim nebulam uidebitis, neque fumum, neque fulgur, sed ipsum regem sedentem in throno ineffabilis gloriae, et angelos et archangelos assistentes ei, et plebes sanctorum cum infinitis decem milibus. Talis enim est dei ciuitas, aecclesiam habens primogenitorum, spiritum iustorum, sollempnitatem angelorum, sanguinem aspersionis per quem omnia copulata sunt, et coelum suscepit quae a terra sunt, et terra quae a coelo sunt, et ea quae olim optata est et angelis et sanctis, introducta est pax. In hac ciuitate tropheum stetit crucis, preclarum illud et illustre. Spolia christi primiciae natuare nostrae, prede regis nostri. Haec enim omnia ab aeuangeliis sciemus cum certitudine. Etsi sequeris cum silentio digno, poterimus te circumducere ubique, et monstrare ubi quidem mors stipiti infixi iacet. Vbi autem peccatum est appensum, ubi autem multa et paradoxa belli, prelii huius anathemata. Videbis et tyrannum hic ligatum, et captiuorum multitudinem sequentem, et arcem a qua perniciosus demon ille uniuerso descendebat anteriori tempore. Videbis latronis occultationes, et speluncas suspensas et apertas. Etenim et illic iuit rex. Sed ne fatigeris dilecte. Neque enim si prelium aliquis enarraret et trophea et uictorias, sacietatem susciperes utique. Sed neque cibum uel potum, ante hanc utique poneres hystoriam. Si autem illa concupiscibilis est enarratio, multo magis haec. Intellige enim quam maximum est audire, qualiter quidem ex coelis et thronis surgens regalibus, in terram et in ipsum delatus est infernum deus, et in preliatione stetit. Qualiter autem obuius preliatus est diabolus. Magis autem non deo nudo, sed deo humana occultato natura. Et quod utique est mirabile, quoniam morte mortem uidebis solutam, et maledictionem destructam maledictione, et per quae ualuit diabolus, per haec eius dissolutam tyrannidem. Exurgamus igitur et ne dormiamus. Ecce enim uideo portas nobis apertas, sed ingrediamur cum omni bona ordinatione et tremore, his quae ante hostia ipsa sunt, confestim superuenientes. Quae autem sunt haec, quae ante hostia sunt? Liber generationis ihesu christi, filii dauid, filii abraham. Quid dicis? De unigenito filio dei disputare promisisti, et dauid memoras, hominis post multas generationes nati. Et ipsum esse ais et patrem et progenitorem? Siste. Et non omnia simul repente quere discere, sed quiescibiliter et paulatim. In his enim quae ante hostia sunt stas adhuc, apud ipsa quae ante ianuas sunt. Quid igitur festinas ad inaccessibleia et cum nondum exteriora bene consideraueris omnia? Neque enim illam tibi nunc narro generationem, magis autem neque eam quae postea fuit. Inenarrabilis enim est et

Commented [CN1]: [fol.4rb]

Commented [CN2]: id est preter opinionem *add. super lin.*

Commented [CN3]: id est pallia suspensa *add. super lin.*

Commented [CN4]: diaboli *add. super lin.*

Commented [CN5]: uel rescissas *add. super lin.*

Commented [CN6]: [fol.4va]

ineffabilis. Et ante me, tibi hoc propheta dixit hysaias. Predicans enim passionem eius, et multam pro orbe terrarum philantropiam, et amiratus quis existens, quid factus est, et ubi descende, exclamauit magne et clare, ita dicens. Generationem eius quis enarrabit? Non igitur de illa nobis sermo nunc sed de hac inferiori quae in terra facta est, quae cum decemmilibus testibus. Et de hac autem ut nobis possibile est dicere, suscipientes spiritus gratiam, ita enarrabimus. Neque enim hanc cum manifestatione omni representabimus utique, quoniam et haec ualde terribilis. Ne igitur parua estimes audire, hanc audiens generationem, sed resuscita tuam mentem, et confestim orresce audiens quod deus in terram uenit. Ita enim hoc mirabile et paradoxum fuit, ut et angeli chororum pro hoc statuentes, eam quae pro orbe terrarum est pro hoc referant laudationem, et prophetae antiquitus ex hoc stupescant, quoniam in terra uisus est et cum hominibus conuersatus est. Etenim ualde paradoxum est audire, quod deus qui ineffabilis est, et inenarrabilis, et inintelligibilis, et patri aequalis, per matricem iuit uirginalem, et nasci ex muliere dignatus est, et habere progenitores dauid et abraham. Et quid dico dauid et abraham? Quod enim utique orribilius est, mulieres illas quarum nunc meminimus. Haec audiens, exurge et nichil humile suspiceris, sed et propterea id maxime admirare, quoniam filius existens dei, anarchu, id est sine principio, et proprius filius sustinuit nominari et dauid filius, ut te faciat dei filium. Sustinuit seruum patrem eius fieri, ut tibi seruo patrem faciat dominatorem. Vides ex proemiis confestim, qualia sunt aeuangelia? Si autem dubitas de his quae tua sunt, ab his quae illius sunt et haec crede. Multum enim difficilius quantum ad humanam excogitationem est deum hominem fieri, quam hominem filium dei existere. Quando igitur audies quod filius dei filius dauid est et abrahe, ne dubites igitur quod et tu filius adae, filius eris dei. Neque enim inaniter et uane tantum seipsum humiliasset, nisi esset nos exaltaturus. Natus est enim secundum carnem, ut nascaris secundum spiritum. Natus est ex muliere, ut tu desinas mulieris esse filium. Propterea duplex facta est natiuitas, et ea quae similis est nobis, et quae superexcedit nostram. Ex muliere enim nasci, nobis contingebat. Non ex sanguine autem neque ex uoluntate uiri uel carnis, sed ex spiritu sancto, superexcedentem nos, et futuram presonabat natiuitatem, quam nobis erat ex spiritu gratis daturus. Et omnia autem alia, talia erant. Etenim lauacrum tale. Habebat enim aliquid ueteris testamenti, habebat aliquid et noui. A propheta quidem enim baptizari, uetus monstrabat, spiritum autem descendere nouum subscripsit. Et quemadmodum aliquis medius duorum quorundam abinuicem distantium, utrasque extendens manus, alterutrumque assumens copulauit, ita et ipse fecit ueterem noue copulaturus diuinam naturam humanae quae eius sunt, his quae nostra sunt. Vides coruscationem ciuitatis, quanta ex proemiis refulsit claritate, et qualiter tibi regem confestim monstrauit in tua forma uelut in exercitu? Neque enim illic propriam dignitatem uidetur habere semper rex, sed purpuram dimittens et diadema, militis formam induit multociens, sed illic quidem ut non cognitus, ad seipsum attrahat aduersarios. Hic autem contrarium ut non cognitus, fugere faciat ab ea quae ad seipsum est colluctatione, inimicum et non proprios perturbet omnes. Saluare enim non stupefacere studuit. Propterea et confestim ipsum ab hac uocauit denominatione, ihesus dicens. Hoc enim nomen ihesus non est grecum, sed hebraea uoce dicitur ihesus, quod est in grecam linguam interpretatum saluator. Saluator autem ab eo quod saluat propter suum. Vides qualiter extulit auditorem? Ea quae in consuetudine erant annuntians, et per ea quae super spem erant, omnibus nobis demonstrans. Etenim utrorumque nominum horum, multa cognitio erat apud iudeos. Quoniam enim paradoxa erant quae futura erant, et nominum precucurrerit typi, ut et ab antiquis temporibus omnis nouitatis precideretur turbatio.

Commented [CN7]: id est amorem hominum, id est misericordiam *add. super lin.*

Commented [CN8]: [fol.4vb]

Commented [CN9]: id est deum *add. super lin.*

Commented [CN10]: [fol.5ra]

Etenim ihesus qui post moysen induxit iudeos in terram repromissionis, dicitur. Vidisti typum? Inspice ueritatem. Ille in terram repromissionis, hic in coelum, et in ea quae in coelis sunt bona. Ille postquam defunctus est moyses, hic postquam quieuit lex. Ille ut dux, hic ut rex. Sed ut non ihesum audiens propter equiuocationem erres, induxit ihesu christi filii dauid. Ille autem non fuit dauid, sed alterius tribus. Quare autem librum ipsum uocat generationis ihesu christi? Et profecto non hoc habet solum generationem, sed omnem dispensationem, quoniam tocius dispensationis capitulum hoc, et principium et radix omnium bonorum fit nobis. Quemadmodum igitur librum coeli et terrae uocat, quamuis non de coelo et terra disputet solum, sed et de his quae in medio sunt omnibus, ita et hic a capitulo dictorum librum hunc uocauit. Stupore enim plenum est, et super spem et expectationem omnem, hominem factum esse deum. Hoc autem facto, quae post haec sunt omnia, secundum rationem et consequentiam sequuntur. Quare autem non dixit filii abraham, et tunc filii dauid? Non ut quidam estimant de deorsum sursum uolens uenire, quoniam fecisset utique quod lucas. Nunc autem contrarium facit. Quare igitur primum dauid meminit? In ore omnium homo hic erat, et a nobilitate, et a tempore. Non enim antiquitus erat defunctus, sicut abraham. Si autem utrisque promisit deus, sed tamen illud quidem ut uetus, silentio tradebatur, hoc autem ut recens et nouum ab omnibus dicebatur. Ipsi denique dicunt. Nonne ex semine dauid, et a bethleem castello, ubi erat dauid uenit christus? Et nullus eum filium abrahae, sed omnes filium dauid uocabant. Etenim et propter tempus ut dixi et propter regnum, magis in memoria omnibus hic erat. Ita enim et quos honorabant post illum reges, ex illo uniuersos uocabant, et ipsi et deus. Etenim et iezechiel et alii prophetae dicunt ipsis aduenire dauid et resurgere. Non de illo dicentes qui defecerat, sed de zelantibus uirtutem illius. Iezechie autem ait. Superamplectar ciuitatem hanc propter me, et propter dauid puerum meum. Et salomoni dixit quoniam propter dauid non scidit eo uiuente regnum. Multa enim gloria uiri erat, et apud deum et homines. Propterea confestim a nociori principium facit, et tunc ad patrem abraham recurrit, superfluum estimans quantum ad iudeos ultra superius sermonem reducere. Hii enim maxime erant, qui in ammiratione erant, hic quidem ut propheta et rex, ille autem ut patriarcha et propheta. Et unde manifestum quod ex dauid est, ait. Si enim ex uiro non genitus est, sed ex muliere solum, uirgo autem non genealogizatur, et quomodo sciemus quod dauid filius fuit? Duo enim sunt quae queruntur. Et quare mater non genealogizatur, et quid utique umquam ioseph, qui nichil commune habet ad generationem, memoratur ab ipsis. Videtur enim hoc quidem superfluum esse, illud autem indigens. Quod igitur prius est necessarium dicere? qualiter ex dauid uirgo fuit. Qualiter igitur sciemus quod ex dauid? Audi deum dicentem gabriheli: Abi ad uirginem deponsatam uiro, cui nomen ioseph ex domo et familia dauid. Quid igitur isto uis manifestius, cum audias quod ex domo et familia dauid erat uirgo? Vnde manifestum est quod et ioseph inde erat. Etenim lex erat iubens non licere aliunde coniugari quam ex eadem tribu. Sed et patriarcha iacob, a iudae tribu surrecturum esse cum predixit, ita dicens. Non deficiet enim princeps ex iuda, neque dux ex femoribus eius, donec ueniat cui adiacet, et ipse est expectatio gentium. Prophetia enim haec quod ex tribu quidem iudae factus est, monstrat, quod et ex genere autem est dauid nequaquam. Nunquid igitur tribui iudae genus inerat solum dauid? Immo multa genera alia, et contingit aliquem tribus quidem esse iudae, non adhuc autem et generis dauid. Sed ut non hoc dicas, destruxit tuam supicionem hanc, aeuangelista dicens, quoniam ex domo et familia erat dauid. Si autem et aliunde uis hoc discere, neque alia indigemus demonstratione. Non solum enim a tribu non licebat alia, sed neque a familia alia hoc est cognatione, nubere.

Commented [CN11]: generationis *add. super lin.*

Commented [CN12]: [fol.5rb]

Commented [CN13]: [fol.5va]

Quare siue uirgini adaptabimus hoc quod ex domo et familia dauid stat quod dictum est, siue de ioseph id dicens, per ipsum et hoc firmabitur. Si enim ex domo dauid et familia erat, non utique aliunde suscepisset uxorem, quam unde et ipse erat. Quid igitur si transgressus est legem ait? Propter hoc enim preassumens testificatus est, quod iustus erat ioseph. Sed discens eius uirtutem, et illud scias quod non utique transgressus est legem. Qui enim ita amicus uirtutis et extra passionem erat, ut neque suspicione cogente uoluerit temptare punire uirginem, qualiter utique propter uoluptatem transgressus esset legem? Qui enim supra legem philosophatus est? Etenim dimittere, et occulte dimittere, supra legem philosophantis erat, qualiter utique iniquum aliquid operaretur, et maxime cum nulla cogeret causa? Sed quoniam ex genere quidem dauid uirgo fuit, ex his manifestum est. Quare autem eam non in genealogia posuit sed ioseph, necessarium est dicere. Quare igitur? Non erat lex apud iudeos in genealogia poni mulieres. Vt igitur et consuetudinem custodiat, et non uideatur extra usum facere ex proemiis ipsis, et puellam nobis cognitam faciat, propterea progenitores eius siluit, et ioseph in genealogia posuit. Siue enim in uirgine hoc fecisset, uideretur utique nouum quid fecisse, siue ioseph siluisset, non cognosceremus uirginis progenitores. Vt igitur discamus mariam quae fuit, et unde, et ea quae legis erant immobilia maneat, sponsam in genealogia posuit, et monstrauit esse ex domo dauid. Hoc enim demonstrato, et illud simul demonstratum est, quod et uirgo inde erat, quia cum iustus hic ut dixi esset, non pateretur aliunde ducere uxorem. Est autem et aliam rationem ducere magis mysticam, propter quam silentio traditi sunt uirginis progenitores, quam non oportuum est nunc reuelare, quia multa sunt quae dicta sunt. Ideoque hic sistentes questionum sermonem, retineamus tantum cum diligentia quae reuelata sunt nobis. Puta quare dauid meminit primum. Quare librum generationis uocauit hunc librum. Quare dixit ihesu christi. Qualiter generatio communis est et non communis. Vnde maria dauid esse monstrata est. Et quare ioseph in genealogia positus est, silentio traditis illius progenitoribus. Si enim custodieritis haec, audiores nos et ad futura facietis. Si autem expuetis et proicietis ea ab animo, et ad reliqua pigrius disponemur. Neque enim terrae quae priora corruptis semina, eliget utique insudare agricola.

Ideo deprecor, haec in mente uertere. Si enim circa haec solliciti eritis, magnum animae et salutare innascetur bonum, et deo poterimus placere horum curam habentes, et a conuiciis et turpiloquio et iniuriis ora pura erunt, spiritualia meditantibus uerba, et demonibus erimus terribiles nostram linguam talibus uerbis armantes, et dei gratiam accipiemus magis, et acutior nobis efficietur oculus. Etenim et oculos et os auditum propterea nobis dedit deus, ut ipsi omnia seruiant membra, ut quae ipsius sunt loquamur, ut quae ipsius sunt operemur, ut cantemus ipsi hymnos continuos, ut ei gratias agamus, et propter haec conscientiam nostram purgemus. Quemadmodum enim corpus aerem assumens purum sanius erit, ita et anima sapientior talibus immorans meditationibus. Nonne uidetis et corporis oculos, cum in fumo quidem morantur semper lacrimantes? Cum in aere subtili, et pratis et fontibus et paradisis id est ortis acutiores factos et saniores? Talis et animae est oculus. Siquidem enim in prato spiritualium pascatur eloquiorum, purus erit et preclarus, et acute uidens. Si autem ad fumum huius uitae rerum abierit, lacrimabitur infinite, et lugebit et nunc et tunc. Etenim fumo similes sunt humanae res. Propterea et quidam dixit. Defecerunt uelut fumus dies mei. Sed ille quidem ad paruitalatem et instantiam temporis, ego autem non ad hoc solum sed et ad tumultuationem, dicerem utique oportere excipere quae dicta sunt. Nichil enim ita contristat animae oculum et turbat ut uitae huius curarum turba, et concupiscentiarum multitudo. Haec enim fumi huius sunt ligna. Et quemadmodum ignis cum humidam et infusam quandam habuerit materiam multum emittit fumum, ita et concupiscentia

Commented [CN14]: [fol.5vb]

Commented [CN15]: Morale secundum quod multum nobis prodest sanctarum scripturarum meditatio *notum in marg.*

Commented [CN16]: [fol.6ra]

uehemens haec et flammea, cum humidam quandam et dissolutam assumpserit animam, multum et ipsa parturit fumum. Propterea necessitas est roris spiritus et aure illius ut ignem extinguat, et fumum effundat, et uolatilem faciat nobis mentem. Non enim est tantis grauatum malis ad coelum uolare, sed amabile est bene cinctos nos existentes, posse hanc precipere uiam. Magis autem ita possibile est, si spiritus assumamus alas. **S**i igitur leuem mentem et spiritualem gratiam habere nos oportet ut ascendamus ad altitudinem illam, quando nullo horum sed contrariis omnibus attrahimur et grauedine satanica, qualiter poterimus uolare tanta grauedine attracti? Etenim si quis uelut iniusta statera, sermones nostros ponderare temptabit, in decemmilibus talentis uitae huius sermonum uix inuenies denarios centum uerborum spiritualium, magis autem neque obolos decem. Numquid igitur non confusio et derisio maxima est, famulum quidem habentes, sepius ad necessarias ipso uti res, os autem habentes, neque similiter ut famulo nostro eo uti, sed econuerso ad inutiles et uacantes res? Et utinam ad uacantes solum. Nunc autem ad contraria et nocentia et nullo nobis utilia. Si enim nobis utilia essent quae loquimur, et deo omnino amica essent quae dicuntur. Nunc autem quecunque diabolus summittit, omnia loquimur. Nunc quidem maledicentes et iniuriantes, nunc autem iurantes et mentientes et deierantes. Quis enim uestrum hic stantium, psalmum unum expecticus dicere, aut aliam quandam partem diuinarum scripturarum dicere posset? Non est aliquis. Et non hoc solum est malum, sed quod ex spiritualibus excidentes, ad diabolica igne estis uehementiores. Etenim si uellet aliquis uos carmina perscrutari diabolica, et meretricales melodias, multos inueniet cum certitudine haec scientes, et cum multa ea adnuntiantes uoluptate. Sed quae est responsio accusationum? Non sum ait monachus. Sed quid uxorem habeo, et pueros, et domus sollicitudinem. Hoc enim est quod omnibus obfuit, quoniam illos solos estimatis decere legere diuinas scripturas, multo amplius illis uos indigentes. Illis enim qui in medio uertuntur, et per singulos dies uulnera suscipiunt, maxime indigentia est **f**armacorum. Quare estimare superfluum esse legere, multo deterius est quam non legere. Haec enim uerba, diabolice meditationis sunt. Non auditis paulum dicentem, quoniam ad doctrinam haec omnia scripta sunt? Tu autem si aeuangelium quidem suscipere oporteret, non lotis manibus non utique eligeres hoc facere. Quae autem intus iacent, non estimas ualde necessarium esse abluere? Propterea omnia superius et inferius turbata sunt. Si enim uis discere quanta scripturarum est utilitas, scrutare teipsum. Qualis quidem efficeris psalmum audiens, qualis autem satanicum canticum. Et qualiter disponeris in aecclesia morans, et qualiter in theatro sedens, et uidebis multum medium huius et illius animae. Propterea paulus dixit, corrumpunt mores bonos, **h**omeliae malae. Propterea continuarum nobis indigentia est, earum quae a spiritu sunt incantationum. Etenim hoc est quo irrationabilibus superhabundamus, quia in aliis et ualde ab illis uincimur. Hoc est esca animae, hoc ornatus, hoc stabilitas, quemadmodum non audire, fames est et corruptio. Dabo enim ait eis, non famem panis neque sitim aquae, sed famem audiendi uerbum dei. Quid fiet igitur mirabilius, quando malum quod deus in supplicium minatur, hoc tu aduersus tuum caput sponte trahis? Famem quandam perniciosam introducent animae, et omnibus eam imbeciliorem faciens. A sermone enim corrumpi et saluari ei innatum est. Etenim in iram hoc eam educit, et mitigat hoc ipsum eam rursus, et ad concupiscentiam accendit uerbum sordidum, et ad sobrietatem duxit sermo honestate plenus. Si autem sermo simpliciter tantam habet uirtutem, et qualiter scripturas contempnis? Dic michi. Si enim ammonicio tanta potest, multo magis quando cum spiritu fuerint admonitiones? Etenim igne magis lapideam mollificat animam. Etenim ad omnia bona aptam constituit, sermo a diuinis insonans **s**cripturis. Ita et corinthios inflatos accipiens paulus et inflammatos, mitigauit et humiliores fecit. Etenim in quibus uerecundari oportebat et occultari, in his magna sapiebant. Sed ubi epistolam susceperunt, audi illorum transmutationem, quam ipse doctor eis testatus est, ita

Commented [CN17]: [fol.6rb]

Commented [CN18]: [fol.6va]; medicina add. super lin.

Commented [CN19]: colloquia add. super lin.

Commented [CN20]: [fol.6vb]

dicens. Ipsum enim secundum deum contristari uos, quantum operatum est in uobis studium? sed responsionem, sed angustiam, sed zelum, sed uindictam? Ita et famulos et uxores et pueros et amicos dirigimus, et inimicos amicos facimus. Ita et magni uiri, deo amici et meliores facti sunt. Etenim dauid post peccatum postquam sermonem assumpsit, tunc ad optimam illam uenit penitentiam. Sed et apostoli ita facti sunt, et orbem terrarum uniuersum attraxerunt. Et quae utilitas est ait, cum audierit aliquis et non fecerit quae dicuntur? Non parua quidem et ab auditu erit utilitas. Etenim accusabit seipsum et ingemiscet, et ueniet quandoque et ad faciendum quae dicuntur. Qui autem neque quod peccauit scit, quando desistet delinquere, quando accusabit seipsum? Ne igitur contempnamus audire diuinas scripturas. Diabolicae enim hoc est mentis, non dimittentis thesaurum uidere, ut non diuitias lucremur. Propterea nichil esse ait auditum diuinarum legum, ut non operationem ab auditu uideat aduenientem nobis. Scientes igitur perniciosam hanc eius artem, undique nosmetipsos uallemus, ut armis his circumdati, et ipsi inconsumpti maneamus, et illius percutiamus caput, et ita preclaras uictorias induti futuris pociamur bonis, gratia et misericordia domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium in secula seculorum amen.